



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||  
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,  
Locis,|| Liber Vnvs.||**

**Thyraeus, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

**VD16 T 1247**

Cap. LXIV. An Spiritus defunctorum fabarum iactu prohibeantur redire & molestias afferre?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

cum iniquitate? aut que societas luci ad tenebras? que conuentio Christi ad Belial? quis consensus templo Dei cum idolis? 2. Corinth. 6.

## CAP. LXIII.

An iactus fabarum nigrarum, contra molestias Spirituum defunctorum olim profuerit, iam-  
que Christiano populo permitti  
possit.

I. **A**lter modus, quo contra defunctorum Spiritus se munierunt quidam, olim, apud Romanos maxime, in usu fuit, & lemuralium sacrorum nomine est celebratus. De quo breuiter Alexander ab Alexandro libro 3. Genialium dierum, cap. 12. In Lemuralibus sobam noctu iace e vsurpatum est; Lemures se ex domo eicere clamantes: quam nigr. m esse conuenit, ipsarumq; lotis manibus & pede nudo, per ora versare, & post terga reicere, & visq; timentum facere, utq; Lemures fabis redempti domo abirent, nouies orare, idq; Maio mense, tribus vicibus fieri, donec solutis religione animis Manes exposito ducerent. Ita Alexander. Sed eadem Ouidius longe ante ipsius his versibus 5. Fastorum:

Ritus erat veteris nocturna Lemuria sacri,  
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.  
Annus erat breuior, nec adhuc pia Februa norant,  
Nec tu dux mensum lane biformis eras.  
Iam tamen extincto cineri sua dona ferebant,  
Compositiq; nepos busta piabat aui.  
Mensis erat Maius maiorum nomine dictus,  
Qui partem prisca, nunc quoq; moris habet.  
Nox vbi iam media est, somnoq; silentia prabet,  
Et canis, & varia conticuisse aues.  
Ille memor veteris ritus, timidusq; Deorum  
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.  
Signaq; dat digitis medio cum pollice iunctis,  
Occurrat tacito ne leuis Umbra sibi.  
Cumq; manus pura fontana perluit vnda,  
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.  
Aversusq; iacit sed dum iacit: Hac ego mitto,  
His, inquit, redimo meq; meosq; fabis.  
Hac nouies dicit, nec respicit: Umbra putatur,  
Colligere, & nullo terga vidente sequi.

*Rursus aquam tangit. Tem. saaq̄, concrepat ara,  
Et rogat, ut tectis exeat Umbra suis.*

*Cum dixit novies; Manes exite paterni,  
Respicit. & purè sacra peracta putat.*

*Fabarum* usus varius fuit apud priscos; sed qui cum *superstitio-* 2.  
*ne* coniunctus fuit, aut nullus prorsus; aut cum *maiore* nullus, quàm  
qui in Spiritus proscrubendis observatus fuit.

Et *vnum* quidem, quem damnare nemo potest, habuerunt à 3.  
Deo Opt. Max. cuius sacrae literae secundo meminerunt (2. Reg.  
17 & Ezech. 4.) Hoc in hominum cibum cedunt: de quo sic Plini-  
us Naturalis historiae lib. 18. cap. 12. *Faba*, inquit, *multiplex est usus om-*  
*nium quadrupedum generi præcipuè homini, frumento etiam miscetur apud*  
*plerasq̄ gentes & maximè panico solida & delicatius fracta. Et quia hebe-*  
*rare sensus existimatur atq̄, insomnia facere, Pythagorica sententia dam-*  
*natur: vnde illud. A fabis abstinet. Quamvis alijs aliam huius velint cau-*  
*sam.*

*Alium* habuerunt ex hominum instituto. Nam loco *calcolorum* 4.  
*serviebant* in suffragiis. Quemadmodum enim olim Germani con-  
cilio coacto, si quid, quod minus placeret & propositum fuisset,  
murmurare & fremitu dissentire & sententiam aspernari: si verò  
quid conplacitum fuisset, frameas & tela concutere, sonoque ar-  
morum & tripudiis se approbare significabant, teste Alexandro ab  
Alexandris lib. 4. Genialium dierum cap. 11. ita Græcis & quibus-  
dam Gentibus suffragia *fabis* dabatur. Usus hic ex se sine crimine  
est, & reprehensione vacat.

*Tertius* illarum usus fuit ex hominum quidem instituto, sed 5.  
tamen suggestione Diaboli, & cum gravi superstitione coniun-  
ctus. Atque hic varius est. Nunc enim ad sacrificium referri sole-  
bant domum à segete: & dicebantur, teste Festo, *refrins*, atque ex  
ipsis facta puls, quæ Diis offerebatur, dicta à veteribus *fabacia*.  
Nunc in Auctionibus adhibebatur, & per ipsas concipiebatur spes  
maioris lucri. Græcis quoq̄; earum usus serviebat ad iudicium.  
Nam alba apud ipsos in sortibus auspiciatà fuit & boni euentus:  
nigra mali eodem Alexandro teste, lib. 3. cap. 5.

Ad hunc tertium supersticiosum ipsarum usum referendus 6.  
*illè*, quo ad Spiritus domibus proscrubendos adhibebantur: *sed ta-*  
*men superstitionum magnitudine & multitudine reliquos hic superare vi-*  
*detur; & at rem nihil pertinere. Quid enim ad fugandos Spiritus pro-*  
*iecta pest tergum faba? & faba nigra? & in ore aliquoties prius ver-*  
*sa? & ab eo projecta, cuius lotæ manus, & pedes nudi? & cum aris-*  
*tinnitu*

rinnitu proiecta? & cum nouies, vt Spiritus domum deferant, repetita precatione?

7. Quia verò modus hic superstitionis plenissimus est, idcirco Christianis hominibus, quibus omnis cum Dæmonibus communio prohibetur, est interdictus. *nec potest aut honestatis vlllo colore, aut necessitate aliqua urgente permitti, vel usurpari.* Interdictus quoque est infidelibus, vt nec iam sine crimine sint. si fabarum iactu domibus Spiritus pellant; necolim peccato caruerint; quando pepulerunt. Si à crimine aliqui, soli potuerint illi esse, quos ignorantia excusauit.
8. Cæterùm, quia post *fabarum iactum* Spiritus defunctorum uiuentibus, vt plurimum, molesti esse desierunt apud supersticiosas gentes; non immeritò quæritur, Vtrum hac re vel Spiritibus seruitum sit, vt ob id molesti esse noluerint: vel ipsis imposta necessitas, vt non potuerint esse molesti. Et si horum neutrum, quas ob causas, post *fabarum iactum* Spirituum cessauit molestia. Quid igitur dicendum?
9. *Non seruitum est defunctorum Spiritus fabarum iactu.* Quicumque apud Gentes ex hac vita discesserunt, ad illam alterius vitæ conditionem peruenerunt, in qua nec fabarum usus, nec quicquam aliud simile vllum ipsis subsidium, potuit afferre. Desperata omnium fuit salus.
10. Visne igitur illis allata, & discedere coacti. *Nec vis allata, nec coacti discedere.* Qua enim re vis allata? Ipsisne fabis? An uiuentium oratione discessum imperantium? An cæremoniis cum fabarum iactu coniunctis? An his omnibus? Fabæ Spiritus generant Pythagoricis, non Spiritus dellunt. Viuentes nullum habent in dictos Spiritus imperium Cæremoniæ erant argumenta superstitionis. Simul omnia grauis idololatria.
11. *Cur igitur cessarunt Spectra?* Non semper cessarunt. Spectra quæ Pausaniam Spartanorum Regem vexabant: & quæ Neronem atq; Ottonem Romanorum Imperatores sequebantur (de quibus cap. primo) etiam sexcentis fabis & albis & nigris; etiam centies, & non tantùm nouies repetita oratione, proscribi non potuissent. Quos Deus ob commissa flagitia per Spectra & defunctorum hominum Umbras terrere & punire decreuit; illi vtantur quot qualibusue velint fabis, diuinam vindictam non effugient.
12. Molestare interim Spiritus desisse post *fabarum iactum* profana persepe negari non debet. Neque enim frustra hic labor à Gentibus susceptus fuisset. Veruntamen molestare desierunt; quia molestare

lestare defierunt; quia molestare noluerunt, qui molesti esse poterunt: & non quidem defunctorum hominum Spiritus (nisi forsitan rarius) quamuis defunctorum hominum Spiritus haberentur; sed Spiritus Dæmoniorum, qui voluptatem quandam ex hoc fabarum iactu venabantur; iduq̄e *duas* potissimū ob causas.

*Prima est*, quòd Dei creaturis mortales abuterentur: & quas homini ad vtilitatem, & Deo ad gloriam seruire oportebat, illæ in profanos & impios Dæmonum vsus conuerterentur; dum hisce Dæmonibus quædam sacra fiunt, maximò cum Creatoris omnium contemptu. 13.

*Alter a est*, quòd hac ratione etiam impiæ & falsæ in hominum animis vel alerentur, vel insererentur opiniones. Neque enim clam est, persuasum Gentilibus fuisse defunctorum Spiritus in *fabas* transire. ob quam causam à fabis etiam abstinendum quidam censuerunt, teste Alexandro ab Alexandro, quem superius citauimus. Quæ opinio non potuit non plurimum confirmari, quando miseris persuasum fuit, post nouies repetitam orationem Spectra, quæ molestare viuentes solent, proiectas fabas colligere, quemadmodum Ouidius testatur. 14.

## NOTATIO IN SEQUENTIA

## Capita.

**R**efutatis falsis modis, quibus loca à Spirituum infestatione liberari posse videbantur: nunc assignandi & examinandi sunt veri. Et primum illi, quibus loca per se infesta purgantur, tum quibus purgantur ea, quæ propter homines leguntur infesta. Priores duplicis sunt generis, vel enim scitur conditio Spirituum: vel ignoratur. In priori illo tres sunt discutiendi. primus est, quo Dæmoniorum Spiritus profligantur. Alter, quo ablegantur, & iuuantur boni, siue purgandi. Tertius is, quo contra damnatorum hominum Spiritus pugnatur, de primo primum.

Dd

CAP.